

## Petri Danielis Huetii de interpretatione libri duo (Stadae 1680)

(Pierre Daniel Huet)

[...] [...] [...] Sed redeo ad fratrem tuum. Cum pro sua humanitate veniret ille ad me fere cottidie, et si quid adnotaverat, mecum communica[p.5]ret, quidquid vero ipse commentatus fueram, sibi praelegi vellet, contigit aliquando, ut me in Bibliotheca multis circumfusum libris offenderet, quaereretque ecquidnam operae tanto apparatu conarer. molas me versare respondi, ad quas invitatus fatus nescio quo fuissem destinatus, Origenemque transferre. tum ipse, arrepto eo, cui interpretationem illinebam, libello, praelectisque versibus aliquot, sermonis incuriam demiratus, „Hi, opinor“ inquit „primi sunt lucubrationis tibicines, quos vel detrahes, cum solidae columnae advenerint, vel aliquo certe ornatu convesties.“ hic ego, cum quid sibi vellet, non satis perspicerem, „Quorsum istuc“ inquam „Praemonti? nec enim intelligo, cur alteram quasi interpretationem postulet haec interpretatio. tum ille comiter, ut solebat „Alteram profecto“ inquit [ed: inquis] „ a te interpretationem non requiram, unam modo, teque et Origine dignam edas, apta nimirum verborum [p.6] compositione et aequabili orationis tractu contextam et sublimia ac prope divina tanti viri cogitata pari cum dignitate referentem. quae sane impolito sermone obscurari et invenusta stili tenuitate deteri minime decet. neque vero quicquam a te, nisi ingenio elaboratum atque industria proficisci velim, cuius laudi ita studeo, quasi ipsa cum mea laude coniuncta sit, tuoque nomine utriusque nostrum contineatur existimatio.“ Ego vero“ inquam „amo te, qui ita sentias, sed vide >Zitat: ne studio nostri pecces, odiumque libellis | sedulus importes,< quos tamen omnibus acceptos esse cupis; vereor enim ne perpoliando, ut praecipis, sermoni huic dans operam, scriptoris fortasse non mali laudem obtineam, boni vero ac fidi interpretis plane amittam; quam tamen, altera hac tantisper omissa, impraesentia potissimum persequi debeo. Sic enim existimo, quicumque [p.7] interpretis suscipit partes, in eo praecipue ipsius eniti debere industriam, non ut facultatem dicendi, si qua forte praeditus est, exercent, et orationis suavitate auribus fucum faciat; sed ut Auctorem, cuius interpretationem molitur, tamquam in speculo et imagine, sic in verbis suis contuendum exhibeat; ascititiumque omnem ornatum, quasi integumentum, detrahat, vel quasi inductum nativo colori pigmentum abstergat.“ Ad haec Praemontius „Novum illud est“ inquit „quod statuis, neque tamen de eo tecum pugnare velim, quum ad veri similitudinem, ut loquar quae sentio, videatur esse propensius: aliud est enim, ut acute distinguas, ornate scribere; aliud accurate interpretari; quod ante sane in mentem non venerat; at id vereor, ut aetatis huius hominibus approbare possis, apud quos ea fere invaluit Auctorum convertendi ratio, quam a te mox requirebam & tu repudiasti. Quoniam igitur omnium prope usu per[p.8]vagatum morem, & universis fere calculis receptam sententiam convellere audes, providendum est, ne id temere abs te factum videatur. Et vero, si me audies, de optimo genere interpretandi quid sentias, tum & argumenta, quibus adductus ita sentias, brevi aliqua dissertatione concludes: res erit hominibus nostris, cum valde iucunda lectu, tum sane vehementer utilis. Postquam enim renatae literae, & a barbarie vindicatae sunt, hoc interpretandi studium viris doctis usque adeo placuisse scimus, ut quum aliquid essent in utriusque linguae facultate consecuti, ad

convertendos statim autores industriam suam conferrent; nec quicquam sibi inter literatos laudis viderentur adepti, nisi transferendis Antiquorum scriptis doctrinae suae specimen edidissent. Quo magis mirari subit, vix ullis ea de re traditis praeceptis, dum ingenio suo unusquisque obsequitur, in diversas partes abiisse omnes, ut tot prope sint [p.9] interpretandi modi, quot extant Interpretum nomina. Quamquam ab aliquot annis, ea fere, ut dixi, obtinuit consuetudo, ut etiam tenui stilo & scriptura levi usi autores, uberiore orationis filo & splendido verborum contextu ab Interpretibus induantur. Operae pretium ergo feceris, si incertum hoc studium certis quibusdam finibus circumscriberis, in ordinemque redegeris.“ „Faciám enimvero“ inquam „quando ita jubes: verum quoniam illud est otii, & alia nos hoc tempore impediunt, tu modo ad certam diem promissum hocce, quasi debitum ne repetas, dabo operam, ut lentum quidem nomen, certum tamen esse me fatearis.“ „Expectabo“ inquit „quae polliceris, efficiamque, ut flagitorem quoque me non incommodum, at memorem tamen et assiduum sentias.“ Haec ille. Post aliquot deinde menses, quam haec inter nos fuere constituta, acerba illum & bonis omnibus luctuosa mors oppressit:

[p.10] >At quem virum! quem ego viderim in vita optimum< : Cujus profecto desiderium ferre nullo modo possem, nisi ea me sustentaret, quae in animo assidue versatur, vitae cum eo placidissime actae, summaeque studiorum ac voluntatum consensionis memoria & recordatio: & ni ea me spem aleret, futurum, ut tu alter nobis Praemontius existas.

Id vero quo mihi magis persuasum esse scias, totam hanc, quae ejus rogatu & consilio suscepta est, quamque ipse a me reposcere poterat, Disputationem ad te pertinere duxi. Habe tibi ergo quodcumque illud est: tu controversiam aequus existimator dijudicabis; ego in tuo Fratrisque tui nomine facillime acquiescam. Sermonem hunc omnem de interpretatione Isaaco Casaubono tribuimus; cum propter excellentem viri auctoritatem & doctrinam, tum quod singularem hac in exercitatione usum videatur olim fuisse consecutus; ipseque adeo propriam expli[p.11]cando huic argumento dissertationem seorsum a se testetur esse conscriptam: quam tamen publicae luci, sive eorum, ad quos haec cura pertinebat, negligentia, sive casus aliquis invidit. Memoria autem teneo audire me ex Petro Puteano, clarissimo viro, quum diceret, paucis post diebus quam Polybium Casaubonus edidisset, venisse ad eum in Bibliothecam Regiam, cujus procuratori tum praefectus erat, Jacobum Augustum Thuanum & Frontonem Ducaeum, viros magnos & cum primis eruditos, quosque longo usu & amicitia Casaubono fuisse coniunctissimos accepimus: tunc autem, quum Polybii prudentiam civilem, militaremque scientiam mirifice praedicasset Thuanus, professusque fuisset palam, singularia sibi ab eo subministrari adjumenta, postquam suorum temporum historiam tradere literis esset ingressus; Casauboni quoque in excolendo Polybio industriam summopere Frontonem extulisse: eam [p.12] vero utrique potissimum placuisse interpretandi rationem, quam hos opere transferendo tenuisset, ut non facile dici posse crederent, Polybiumne Casaubono, an Casaubonum Polybius convertisset. Aiebat praeterea Puteanus quaesisse Frontonem ab eo, quinam ipsi prae reliquis valde probaretur interpretationis modus: quae quum audisset Casaubonus, multa inter eos de optimo genere interpretandi ultro citroque fuisse agitata. Horum ego totam de ea quaestione disputationem hoc libro explicavi. Sed quo citius hoc, quod suscepi munus, possim absolvere, Casaubonum ipsum cum aliis disserentem audiamus.

II.1 Exordium secundum. CAS. Ita est, ut dicitis, Fronto optime, tuque amplissime Thuane, magna est Polybii laus & inter alios omnes, quicumque in conscribendis historiis versati sunt, haud scio an maxima. Quod autem addidistis, gratiae nimirum causa, non frustra nos in eo recensendo & convertendo elaborasse, idque adversum vos [p.13] fuisse gratum, jam vero uberimus mihi constat industriae meae fructus, qui, nostra vobis ut probarentur, consecutus sum: eoque magis gaudeo, quo res a me fuerat suscepta difficilior; molestam rem enim & tormento similem esse dixit Tullius, alieno stomacho & non suo scribere. Ecquemnam porro tenedum in interpretando modum, rationemque persequendam potissimum dicam, id quod a me quaerebas, Fronto, <sup>1</sup> brevi quadam Diatriba exposui, quam una cum nostris in Polybium Commentariis, Deo faciente, sumus edituri. FR. Illud profecto cecidit peropportune, quod in eum delapsus sis sermonem, & Dissertationis hujus mentionem injeceris; magna enim me perfruendae hujus incessit cupido, postquam spem hanc nobis intua ad Polybium Praefatione fecisti: scitis enim quot jam annos in eodem hoc interpretandi curriculo ipse desudarim. Sed cur Dissertationem tuam expectem? age vero quid esse potest hoc in otio aut [p.14] jucundius aut utilius quam a te, Casaubone, omnem hanc de optima interpretandi ratione quaestionem exponi?

1 in marg: Casaub. Praefat. ad Polyb.

CAS. Grave mihi onus a te imponitur, Fronto, difficiles enim explicatus habet id argumentum; neque si quid in scribendo, idem quoque possumus in dicendo: consultiusque factum esset a te, si quae accurate cogitateque conscripsimus, legere, quam quae tumultuaria ac prompta oratione dicturi sumus, audire maluisses. Vide itaque, vir optime, quo me compellas & tecum mihi crimen illud commune futurum cogita, ut si provinciam hanc administrare non potuero, aliqua mea fortasse culpa sit susceptae, tua autem traditae vel maxima. THU. Ego vero istud, quod vereris, periculum praestabo; novi enim ingenium tuum & doctrinam, quae qualia sint, vel parum videris perspexisse, quod minime sibi sit unusquisque notus, certe dissimulare. Perge modo, Casaubone, nequaquam me profecto, neque [p.15] Frontonem istum ad hunc te sermonem impulsisse poenitebit. CAS. Ista quidem vis est, quo nolis & ubi non sine periculo futurus sis, trahi & trudi simul. Vestram tamen iniquitatem patiar, quam accusetis sane, si quae ego non possim, a me postulaveritis; sin studiis vestris obsecutus susceptum negotium feliciter forte explicavero, meam tamen facilitatem laudetis.<sup>2</sup> Quod in omni ergo disputatione faciendum in principio censeo, ne temere vagetur oratio & excurrat, tota haec in genera quaedam dirigenda est interpretandi ratio: deinde eorum generum, quae ad institutum nostrum pertinent, membra quaedam seligenda primum, deinde dispertienda sunt; reliqua, quae ad rem non faciunt, praetermittenda: tum propria unaquaeque res est definitione declaranda, certa que circumscriptione determinanda ac sancienda: postea, quae contra afferri possunt, diluenda: quibus ita constitutis ad examen variae variorum [p.16] revocabuntur interpretationes & ad nostram normam exigentur.<sup>3</sup> Ac primum quidem Interpretationis nomen perlate patet, illoque vulgo comprehenditur Sermo omnis, quo fit, ut res minime intellecta percipiatur: atque eo, non in aliam solummodo linguam ex alia Conversio, sed & Commentarii praeterea, Glossematum expositiones, Scholia, Μεταβολαί, Paraphrases, Metaphrases, tum ὁμόγλωττοι, tum ἀλλόγλωττοι, & reliqua ejusmodi continentur. Nobis autem in praesentia hoc Interpretationis vocabulo significatur dumtaxat Sermonis alicujus in alteram linguam conversio: quod cum duabus fere de causis fieri contingat; vel linguae condiscendae ac stili producendi gratia; quemadmodum tironibus usuvenire solet, cum vernacula Latine, aut Latina Graece & notiora denique obscurioribus reddunt; vel sermonis vulgo ignobilis exponendi causa, inde duae species efflorescunt: priorem, quae nihil ad hoc tempus, prae[p.17]mittimus: posterior sic a nobis definitur, Sermo lingua notiore expressus, sermonem lingua minus nota expressum referens ac repraesentans: quo sensu tota hac disputatione istam Interpretationis vocem, si placet, usurpabimus. Hujus igitur generis duo itidem videntur esse formae; altera, quum non Auctorem modo, Auctorisque verbis subjectam sententiam respicit Interpres, sed vel Lectoris etiam servit voluptati aut studiis, vel suo ipsius ingenio indulget; altera, quum unius Auctoris rationem habet in eoque perquam accurate res#erendo tota ipsius versatur ars & diligentia. Ad priorem hancce formam pertinere videntur ea, quae e Poetis Graecis Romani Poetae veteres Latinis versibus expresserunt; cujusmodi sunt quae ex Aeschylo, Sophocle & Euripide verterunt Ennius, Pacuvius, Accius & Attilius; quae e De-

2 in marg.: Partitio Dissertationis hujus

3 in marg.: Interpretationis divisio & definitio

mophilo, Philemone, Diphilo, Epicharmo, Menandro & Apollodoro Plautus, Terentius, Caecilius, Afrap.18]nius & Aquilius; quae ex Arato Germanicus; quae ex eo item & ex Homero, Aeschylo, Sophocle, Euripide aliisque expressa, ac libris suis passim inserta Tullius; quae ex eodem Arato & Dionysio Avienus & Rhemnius Fannius; quae e Sappho item & Callimacho Catullus; quae ex Apollonio Atacinus Varro; quae Cornelius Gallus ex Euphorione; quaeque alii ex aliis Romano carmine transtulerunt. Hoc etiam genere eae Ciceronis interpretationes comprehenduntur, quibus Aeschinis & Demosthenis orationes, non ut Interpres, sed ut orator Latinitate donavit: hoc Ambrosii Hexaameron, quo cognominem Basilius librum, ordine mutato, adjectisque ex Origine, Hippolyto & de suo nonnullis diligenter exposuit. Illuc quoque referenda est Epitome, quum prolixiozem Auctorem intra angustias quasdam aliena lingua concludit Interpres; illuc

### Auslassung ### [p.20] ### Auslassung ###

[p.20] ### Auslassung ### e Polybio Livius ... .. ex Apollonio Valerius Flaccus ... .. mutuati sunt, Interpretationibus neutiquam videntur adnumeranda: hos quippe Auctores imitandos sibi vel sequendos, non interpretandos proposuere: atque formae hujus disceptatio minime instituti sermonis est. Posteriore autem illa, quae in eo tantum debet elaborare, ut interpretandum Auctorem fidissime ac diligenter referat, ea continentur, quae ego e Polybio; tu, Fronto, e Chrysostomo expressimus; quaeque recentiorum Interpretum labore fere videmus esse conversa. Ac mihi videor [p.21] satis, quam varia sint interpretandi genera, ostendisse; proximum est, ut generis ejus, de quo acturum me docui, optima seligatur species & certa quadam a me institutione formetur. <sup>4</sup> Optimum ergo illum esse dico interpretandi modum, quum Auctoris sententiae primum, deinde ipsis etiam, si ita fert utriusque linguae facultas, verbis arctissime adhaeret interpres & nativum postremo Auctoris characterem, quoad ejus fieri potest, adumbrat; idque unum studet, ut nulla cum detractioe imminutum, nullo additamento auctum, sed integrum, suique omni ex parte simillimum perquam fideliter exhibeat. <sup>5</sup> Cum enim nihil aliud esse videatur Interpretatio, quam expressa Auctoris imago & effigies; ea autem optima imago habenda sit, quae lineamenta oris, colorem, oculos, totum denique vultus filum & corporis habitum ita refert, ut absens coram adesse videatur; inepta vero ea figura sit, quae rem aliter ef[p.22]fingit atque est, pulchriorem illam licet & aspectu jucundiores exprimat: id profecto efficitur, eam demum praestabiliorem esse Interpretationem, non quae Auctoris vel luxuriam depascat, vel jejunitatem expleat, vel obscuritatem illustret, vel menda corrigat, vel perversum ordinem digerat; sed quae totum Auctorem ob oculos sistat nativis adumbratum coloribus vel genuinis virtutibus laudandum, vel, si ita meritis est, propriis deridendum vitiis propinet. Nam quis, amabo, ejusmodi speculum laudet, muliercula modo ne sit nimium sese diligens, sibi placere volens, quod oppositam faciem ita dissimulet, ut cum os ei pallore luridum, vel macie torridum, vel nimio rubore splendidum objeceris; roseum tibi vultum referat, vel succi plenum, vel decenti candore temperatum? Quis porro ita adornatam mulierem non derideat, nedum depereat, quae infucatam faciem, supposititiam comam, [p.23] ascitios dentes, ac ementitam corporis proceritatem ostendet? Magnum profecto veritatis amorem ac studium hominum mentibus indidit natura, eo trahimur omnes & rapimur, & res reliquas prae veritate postputamus; nec quisquam est tam stolidae mentis, qui se in errorem, blandum licet & placentem induci velit; qui se praestigiis deludi & officiis excaecari patiat; quique mox ut os sibi sublitum senserit, non excandescat. Jam vero, ut eo referatur, unde huc declinavit oratio, quid ejusmodi speculo, vel mulieri pigmentis perspersae similis esse dicam, quam adulteratam Interpretationem, quae Auctori falsis coloribus venustatem conciliet; quae strigosum, ut ita dicam, saginet; turgentis tumorem dissolvat; summissum ergiat, vel elatum deprimat?

---

4 III.1 Optimum interpretandi genus in universum proponitur

5 2. Probatur argumentis

Thucydidem aliquis interpretandum susceperit, scriptorem videlicet aptum verbis, pressum & grandem, crebrum sententiis, incitatum, praefractum & subobscu[p.24]rum, sic enim a Tullio appellatur; is autem Interpres, vir nimirum aliquis natura volubilis, & aequabili, candida, ac dulci pollens eloquentia, Thucydidis concitationem molliat; obscuras conciones, abditasque sententias uberiore sermonis tractu diffundat; ornamenta benigne ac liberaliter adjiciat; dissipatamque orationem numeris devinciat: tum demum Lector Graecae ignarus linguae, Thucydidis vero evolventi, in ejusque adyta penetrandi incensus desiderio ad ejusmodi interpretationem accedat; Thucydidem ille quippe requiret in Thucydidem, sibique vel fucum ab Interprete factum dicet; vel candorem judiciumve desiderabit in Cicerone & Fabio, a quibus densum esse Thucydidem, astrictum, semper instantem sibi, sententiis magis quam verbis abundantem acceperat. Inde ad interpretandum Xenophontem, cujus lenitatem & nitorem satis praedicat Tullius, animum alter appellat, austerus scilicet homo & gravis, concisis frequens sententiis, brevis, [p.25] acutus; proptereaque non satis apertus; Xenophontem ille, non qualis est, sed qualem esse vult, exprimat; suamque orationem non ad Xenophontis exemplum, sed Xenophontem ipsum ad suae instar orationis componat; ejus lenitatem concitet, impetum addat, Atticam deinde Apim Aquilam faciat: quicumque sane ita recoctum Xenophontem, ita larvatum viderit, is si germanum sese vidisse Xenophontem ac animo percepisse crediderit, nae eum sua valde fefellerit opinio. Grandem itaque Thucydidem, sicut est, ita exhiberi velim; placidum Xenophontem & suavem; candidum & fuscum Herodotum; numerosum quoque, si fieri possit, Isocratem; elatum Demosthenem & gravem; uberem in dicendo Platonem; Aristotelem nervosum; dulcem Theophrastum; Heraclitum ipsum, si extaret, tenebricosum.

Proteo denique similis fiat Interpres, seseque in omnia rerum miracula convertat, & objectos colores omnes, Chamaeleonte ipso mutabilior, transferat in se ac [p.26] combibat. Minime ergo disertissimi illius viri ratio probanda est, cui cum Ciceronis copia mirifice placeret & ubertas, Aristotelem interpretandum aggressus, siccum quippe & tenuem, quae breviter ab eo & obscure fuerant dicta, Tulliano more dilatavit. <sup>6</sup> Ac cogitanti mihi saepenumero ex quo fonte ea primum profluxerit Veterum corrumpendorum licentia, id mihi ad animum occurrit, innatum unicuique sui ipsius amorem, quem apte uno verbo φιλαυτίαν Graeci appellarunt, bonarum rerum inscitia fere conjunctum ejusmodi audaciam peperisse. Postquam enim id morbi genus hominum mentibus insederit, malesana consequi consilia necesse est: unde temeritates eae existunt, quibus abrepta haec aetas Veterum scriptis numquam sine religione tractandis profanas manus injecit, & quisquillas suas splendidis nominibus venditavit.

Dum enim de se bene existimat Interpres, & et nimium sibi placet, iudicis sibi facile [p.27] arrogat partes; deque Auctore, ad quem convertendum accesserat, confidenter arbitrium facit.

<sup>6</sup> 3. Unde Interpretum licentia profluxerit, aperitur.

Quaecumque ergo sibi non sapiunt, respuit, proque iis sua supponit: si quae vero etiam puncto ipsius comprobata sunt, eo tantum omine retinentur, si ita Interpreti fuerit visum, qui mentis suae foetus in alienum nidum serpere, & legitimos saepe exigere patitur. Cui quidem malo ut occurratur, ea stirpitis evellenda opinio est, quam de se homines, supra id quod in se est, mente praecipiant; stili sui immoderationem compescere debet unusquisque; alienas & antiquas praesertim scriptiones caute attingere; tum Interpretis demum quae sint partes postquam exquisitè condidicerit, eas semel in se susceptas fideliter implere, nec quicquam ingenio suo permittere. Qui secus faxit, is ardelio sane, non interpres; is interpolare, non interpretari dicendus sit.”

THU “Ita prorsus est, Casaubone, & antea quoque puta[p.28]bam: quotiescunque enim in hujusmodi incidissem interpretationes; incidebam autem saepissime, frequentes enim hoc tempore occurrunt; incautae adolescentiae tam turpiter illudi dolebam, & et per quos ad sanctae illius Antiquitatis penetralia aditum communiri decuerat, haec objici impedimenta, viamque intercludi ferebam aegerrime: quo magis gaudeo te hac aetate extitisse, qui obstructam hanc viam non modo ingredi, sed aliis etiam aperire ausus sis. Haec ad te nimirum pertinebat cura, virum Graecis, ut alia taceam, Latinisque literis luculenter excultum; totius Antiquitatis memoria instructum; sublimi ad haec ingenio, & quod caput est, acri & incorrupto praeditum iudicio: sed >Vereor coram in os te laudare amplius,/ ne id assentandi magis, quam quod / habeam gratum, facere existumes.<

Perge ergo, quoniam Interpretem Auctoris perpetuum assectatorem esse jubes, an eum etiam passibus ae[p.29]quis incedere, & subsequi κατὰ πόδα, id est, verborum numerum pari verborum numero consequi velis, statue.”

CAS “Inibi eram, amplissime Thuane, meque illuc cogitantem antevertisti; sed audies ex me quod non omnibus probetur: dicam nihilominus, vos enim mihi instar eritis omnium millium; id quod Platoni dixisse Antimachum Clarium poetam ferunt. <sup>7</sup> Universe ergo verbum de verbo exprimendum, & vocum etiam collocationem retinendam esse pronuntio; id modo per linguae, qua utitur Interpres, facultatem liceat: cum enim Graecae, verbi gratia, unicuique dictioni par altera in Latinis non semper respondeat, tum alia profecto asciscenda est aliqua, vel etiam plures, si ita res ferat. Cum eundem item verborum ordinem ac situm Latina non semper patiatur lingua, quem recipit Graeca, tum necessario hanc dictionum collocationem pervertendam esse satis liquet. Frequentia demum impedimenta objicere [p.30] potest linguarum dissensio ac repugnantia, quominus Auctoris sui vestigiis propius Interpres, & pressius insistat. Auctori ergo ita Interpretem adhaerescere, & gradibus gradus aequare volumus, patentia modo & aperta itinera occurrant. Quod si ejusmodi sese dederint angustiae, & salebrae viarum, quae comitem Interpretem ab Auctore duce divellant, qua proximus patebit aditus, spissus licet & difficilis, eo confugiat Interpres, seseque in sentes potius induat, & tribulis obsita loca penetret, quam commodos exitus longius requirat.

---

<sup>7</sup> 4. Verbum de verbo exprimendum, & et vocum ordinem retinendum, quatenus linguae id facultas feret.

Hoc itaque generale scitum esto, quod in omni Interpretatione versetur, verbum verbo si fieri possit, referendum esse, nec vocum ordinem temere deserendum. <sup>8</sup> Quod quoniam nimis late patet, & vos aliquid a me fortasse subtilius distinctum & enucleatum expectatis, faciam desiderio vestro satis, ut potero. <sup>9</sup> Imprimis igitur attendere debet Interpres, quaenam Auctori suo sit subjecta materia: [p.31] pro argumenti quippe varietate, varietatem quoque & modum recipit Interpretatio. <sup>10</sup> In Scripturis sane sanctis, ubi & verborum ordo mysterium est, non magna arte perpolita illa constructio plures saepe fert sententias, quarum maximam partem elegantiae studium succidit, verbum verbo enuntiandum fatetur Hieronymus; quamvis aliter in aliis censeat esse faciendum, nec ei semper ipse praecepto paruerit. Librorum equidem sacrorum Interpretem vocem voce referre jubeo; si tritae & receptae dictiones non suppedient, ad obsoletas, & ab usu quotidiani sermonis intermissas recurrat: sin eae quoque deficient, vocabula audeat fingere cinctutis non exaudita Cethegis, parce modo, & verecunde; ea demum laudanda erit licentia. Verborum item ordinem quin retineat, neque obscuritate, neque rudi eorum compositione absterreatur, Quod si ita feret casus, ut ascititia omnino verba recipienda sint, diverso ea caractere [p.31]re signentur.

##### Auslassung #####

[p.40] <sup>11</sup> Historici quoque ne interpolentur, cautio est; veritas quippe illecebris sermonis infusatur, quam Interpres praestare integram debet: Auctorum praeterea omnium, uti supra docuimus, sed Historicorum praesertim characterem ita retineri decet, ut in interpretatione etiam eluceat, quem vel minima inducet, & obliterabit discrepantia. <sup>12</sup> Supersunt Oratores & Poetae: in prioribus sane illis pauxillum aliquid, pauxillum modo, Interpreti per me liceat; ne vos nimia haec fortasse offendat morositas. Cum eorum quippe ars omnis non [p.41] in rerum solummodo splendore, sed apta etiam verborum connexionem consistat, atque sint apud illos, >Sic lepide lexeis compostae, ut tesserulae omnes / arte, pavimento, atque emblemate vermiculato;< res ipsa, quarum ante omnia habenda semper ratio est, praecipue spectabit Interpres; tum insigne illud & florens, & sonorum, & artificiosum dicendi genus referre conabitur, integris id modo sententiis facere possit; perpauca, vel potius nullis de suo insertis vocibus, paucioribus etiam de vivo resectis; distorto dumtaxat aliquantulum ordine verborum, qui si parem in utraque lingua concordantiam repraesentasset, omnino fuerat retinendus: secus est autem, eodem enim servato dictionum ordine ad nihilum recidit numerorum concinnitas, quam tanta contentione aucupatur Orator, & nisi paulum commutata verborum collocatione in quadrum redigatur dissipata ora [p.42]tio, perit aptum illud, efficiturque diffluens aliquid & solutum: ea est dissensio Linguarum & vicissitudo. Tanti autem ordo ille non est, ut prae eo venusti Oratoris bene structam compositionem, qua orationis magna ex parte constat absolutio, dissolvamus. <sup>13</sup> Atque utinam eandem in Poetis, qui Oratoribus finitimi sunt, veniam dare possemus: quod neutiquam sane licet, astrictiores enim sunt nu-

8 IV 1. Optima interpretandi genera speciatim proponuntur.

9 2. Interpretatio pro materiae varietate temperanda est.

10 3. Optimum Scripturae interpretandae genus explicatur. Hieron. ep. 101 ad Pammach.

11 Tum Historicorum

12 Oratorum,

13 9. & Poetarum

meris, & praefinitis syllabarum modulis illigati. Vel prorsa ergo oratione, vel vorsa in alteram linguam transfunduntur; si posterius hoc, ad aliam referendum est interpretandi formam, quam nihil ad hoc institutum pertinere supra diximus; nec enim nimia patitur linguarum dissimilitudo, ut salvis iis, quas statuimus, interpretandi legibus, versus versui refundi queat: longius quippe excurrere, & et in remotas plus aequo, ac diversas partes evagari necesse est: si prius illud, cur verbum verbo non reddatur, causa nulla est: [p.43] neglecta enim hac dictionum circumscriptione, quam amitti necesse est, proximum est illud, ut vocum saltem ordinem ac numerum obtineamus, Poetamque exhibeamus arbori similem, e qua frondes hyemis quidem inclementia excussit; ramis tamen, trunco, & radicibus pepercit.